Ecclesiae modis musicis quae ratio sit ad veterum Graecorum musicam.

Musicae nomen apud veteres Graecos multo latius patebat, quam apud nos solet. Neque enim solum harmoniam, quam definiunt esse quamvis sonorum gravium et acutorum congruentiam, quam nunc fere musicam usurpamus, sed omnes eas artes, quibus quod animo complectimur temporis successione et motu sensibus subiicitur, communi illo nomine contineri voluerunt. Quod quum fieri viderent et verborum elocutione, sive dictione, qua optime quod sentitur exprimitur, et sonorum sive vocum gravitate et acumine differentium apta grataque compositione, et saltatione sive grato humano corporis vel unius vel plurium motu ac figuris maximequc gestu manuum: totam artem musicam tripliciter fere divisam invenimus, in metricam, harmonicam, orchesticam, cum quibus, quum nulla earum esset sine rhythmo sive numero, rhythmica ita coniuncta erat, ut tanquam materiam eam omnibus subiectam esse recte dicere possis. Quodsi cum Ecclesiastica musica comparare volumus veterem, eam vides nobis hoc loco valere angustius. De harmonia igitur veterum ut quae sit eius ratio ad Ecclesiae modos musicos intelligatur, quantum res postulare videtur, breviter ante dicendum est. Neque enim attinet aut ea docere, quorum cum nostris eadem ratio est, aut ea explanare, quorum, si fuit unquam, certe ex multis iam saeculis usus nullus est.

Ac primum quidem intervallorum ratio a nostris paulo fuit alia. Quae quum dividerent item ut nos in consona ac dissona, tamen alia ac nobis Graecis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sunt visa consona et dissona. Dicuntur autem et ipsi soni consoni, si simul prolati mixtionem quandam praebent gratam. Quare prima consonantia iis est homophonia sive unisoni quod vocant, si plures miscent sonum gravitate vel acumine eundem; altera antiphonia, consonantia ex adverso sive concentus sonorum intervallo διὰ πασῶν, quod a nostris dicitur octava, vel δὶς διὰ πασῶν, vel τρὶς διὰ πασῶν dispositorum; tertium genus est, quo continentur intervalla διὰ πέντε, quam quintam usurpamus, et διὰ τεσσάρων, quae nobis quarta est, et διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε, cetera habentur dissona h. e. sonis, quibus definiuntur, simul prolatis ἀμιξία sentitur. Sunt autem haec: ditonus (tertia maior), tritonus (quinta minor, aut quarta iusta maior), tetratonus (sexta minor), pentatonus (septima minor), heptachordum (septima maior), diapason et diatessaron (undecima perfecta). Jam reliqua intervalla: trihemitonium (tertia minor), tonus (secunda), hemitonium maius sive apotome et hemitonium minus sive limma[1]) dicuntur passim consona per cohaerentiam (σύμφωνα κατὰ συνέχειαν), propterea credo, quod quasi partes sint consonorum intervallorum. — Ceterum moneo obiter, ex iis quae de consonantiis dicta sunt non sequi veterem harmoniam fuisse polyphonam, qualem nunc adhibemus. Nam quam ditonum et hemitonium pro consonis intervallis non haberent, non potuit effici id, in quo nunc harmonia, quam dicimus, maxime cernitur. Immo equidem contenderim, pro veterum indole non magno opere talem harmoniam iis fuisse probatam. Videtur enim antiquitatis simplicitati, qua excellebant, repugnasse, praesertim quum in canticis verborum perspicuitati magis quam veteres ferre possent officiat. Jam si quaeris, quomodo usi sint consonantiis, ad diapason facilis est responsio. Adhibebatur enim hic concinendi modus iunctis virorum et mulierum vel puerorum choris. Atque etiam instrumentis utebantur ita temperatis, ut per diapason consonarent. Imprimisque magadidis iucundus visus est eius modi concentus[2]). Quomodo autem instituerint, ut in concinendo diapente et diatessaron adhibitis delectari possent, fere ignoratur.

---

[1]) Nam tonum qui mathematicas rationes sonorum persequebantur non posse in duas aequales partes dividi censebant.

[2]) Aristot. probl. 19, 39: Διὰ τί ἥδιόν ἐστι τὸ σύμφωνον τοῦ ὁμόφωνου; Ἢ καὶ τὸ μὲν ἀντίφωνον, σύμφωνόν ἐστι διὰ πασῶν; ἐκ παίδων γὰρ νέων καὶ ἀνδρῶν γίγνεται τὸ ἀντίφωνον· οἱ διεστᾶσι τοῖς τόνοις ὡς νήτη πρὸς τὴν ὑπάτην. Συμφωνία δὲ πᾶσα ἡδίων ἁπλοῦ φθόγγου . . . καὶ τούτων ἡ διὰ πασῶν ἡδίστη· τὸ ὁμόφωνον δὲ ἁπλοῦν ἔχει φθόγγον. Μαγαδίζουσι δὲ ἐν τῇ διὰ πασῶν συμφωνίᾳ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hoc autem certum est, veteres non per diapente et diatessaron totum per carmen continuo accinere solitos esse sive voce sive instrumentis.[3]) Quare si fuit in harmonia, sicut nos nunc accipimus hoc verbum, diapente et diatessaron usus apud Graecos, qualiscunque fuit, certe non fuit is, quem adhibebant quidam qui sibi videbantur docti media, quae dicitur, aetate, ut per diapente et diatessaron instrumentum musicum (organum) progrediens accineret voci.[4])

Jam de plurium intervallorum complexu dicendum est, quod systema Graeci dicunt. In quo genere maximi momenti nobis tetrachordum et quod ex duobus tetrachordis coniunctis efficitur aut heptachordum ad octochordum. Ac tetrachordo quidem, quod nomen a chordis ad intervallorum, quibus continetur, systema translatum est, iam Mercurius usus esse dicitur. Sunt eius tres species. Nam quum duplici toni intervallo et hemitonio expleatur, pro diverso hemitonii loco tetrachordi diversitas exsistit. Prima species habet hemitonium primum in gravi (ut *h c d e*) altera in acuto (ut *c d e f*) tertia medium (ut *d e f g*).

Prima species dicitur Doria eaque vere Graeca et ad Graecos tanquam auctores refertur, reliquae duae, quarum prior Lydia, posterior Phrygia est, si non ex Graecia oriundae, tamen antiquitus receptae sunt. Coniunctione duorum tetrachordorum, si inferioris tetrachordi sonus acutissimus superioris est gravissimus, efficitur heptachordum. Eiusmodi septem chordarum instrumento usi sunt antiqui, quod etiam ita temperabant, ut infima chorda cum suprema consonaret διὰ πασῶν.

Quo factum est, ut in superiore tetrachordo quum tres acutissimi soni suo quisque intervallo ab altero distarent, inter tertium et quartum sonum quod esset intervallum pro tetrachordi specie aut trihemitonium aut ditonum complecteretur. Quodsi prioris heptachordi adhibita prima tetrachordi specie hoc utare exemplo:

E F G a b c d

posterioris sit hoc:

E F G a c d e

Nomina sonorum haec erant ex ordine a gravi in acutum:

ὑπάτη, παρυπάτη, λιχανός, μέση, παραμέση, παρανήτη, νήτη.

Diviso postea illo inter μέσην et παραμέσην intervallo, exstitit octochordum et qui additus est sonus nomen τρίτης accepit, quum παραμέση suum post μέσην

---

[3]) Aristot. probl. 19, 17: Διὰ τί διὰ πέντε οὐκ ᾄδουσι ἀντίφωνα . . 18: Διὰ τί ἡ διὰ πασῶν συμφωνία ᾄδεται μόνη; μαγαδίζουσι γὰρ ταύτην, ἄλλην δὲ οὐδεμίαν . . . . Διὸ μόνα μελῳδεῖται, ὅτι μιᾶς ἔχει χορδῆς τὰ ἀντίφωνα φωνήν.

[4]) Cf. Gerbert. de cantu et mus. s. II. p. 107 spq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

obtineret locum. Tum igitur chordae et qui chordis respondebant soni hisce insignitae erant nominibus:

ὑπάτη, παρυπάτη, λιχανός, μέση, παραμέση, τρίτη, παρανήτη, νήτη.

Quibus nominibus velim animadvertas non indicari singula octavae, ut nos dicimus, intervalla, sed hoc ut fiat addenda est tetrachordorum, quibus constat octava, vel ipsius octavae species; e. g. in Dorio ὑπάτη a παρυπάτῃ distat hemitonio, tono autem in Lydio et Phrygio. Quare nolui ea ad nostram significandi consuetudinem transferre. Habet hoc octochordum duorum tetrachordorum formam interposito (inter μέσην et παραμέσην) intervallo toniaeo, qui tonus diazeucticus dictus est, ob eamque causam tetrachordo, quod incipit a παραμέσῃ nomen inditum est διεζευγμένων. Et quum postea versus grave etiam additum esset τετράχορδον ὑπάτων, unde ei, quod tum medium erat, obtigit nomen tetrachordi μέσων: exstitit hendecachordum, quo usus est Timotheus ille Milesius, qui quum in cithara numero chordarum solito maiore uteretur apud Lacedaemonios, „illa severa Lacedaemon nervos iussit, quo plures quam septem haberet, in Timothei fidibus demi“ [5]). Aliquanto post quartum etiam in acuto adiectum est tetrachordum ὑπερβολαίων. Quod systema quatuor tetrachordorum ut disdiapason compleret, in gravi accessit tonus, qui προσλαμβανόμενος dictus est. Nomina singulis sonis adiecta haec tetrachorda a suo quodque vicino mutuata sunt. Singula autem intervalla non magis in hoc ampliore systemate quam in illo simpliciore octachordo illis nominibus indicantur non addita tetrachordorum specie. Sed quum prima species Graecorum maxime propria recte dicatur, repetendum esse puto illud, quod quum, addito his coniunctis quatuor primae speciei tetrachordi illo προσλαμβανομένῳ in gravi, scala mollis, ut nos diceremus, effecta esset quae per duas octavas pertingeret (ut ab A ad ā)*) posterioribus de rebus harmonicis scriptoribus hoc systema quasi norma quaedam erat, ad quam omnes quaestiones referrent. Hinc igitur quindecim illi modi, qui eadem ratione ex hoc systemate derivantur, ut apud nos ex **a** molli et **c** duro derivantur ceteri modi et molles et duri. Itemque omnes illi eandem habent speciem, quam mollem nunc dicimus, ut nostri omnes aut molles aut duri sunt, tensione tantum differunt utrique. Ex qua re dici vix potest, quam multi errores manarint. Sed de his postea dicemus; nunc ad species revertendum est.

---

[5]) Cic. de legg. 2, 15. *) Vide quam in exstremo libello descripsi tabulam, in qua qui sunt cuiusque tetrachordi utrinque exstremi soni, eos signavi maioribus siglis nostris.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Pari modo ut supra tetrachordi species descriptae sunt secundum locum hemitoniorum exsistunt diversae diapason sive octavarum species. Sunt numero septem. Habet prima hemitonium primum in gravi, quartum in acuto, ut

H C D E F G A h,

secunda tertium in gravi, primum in acuto, ut

C D E F G A h c,

tertia secundum in utramque partem, ut

D E F G A h c d,

quarta primum in gravi, tertium in acuto, ut

E F G A h c d e,

quinta quartum in gravi, primum in acuto, ut

F G A h c d e f,

sexta tertium in gravi, secundum in acuto, ut

G A h c d e f g,

septima secundum in gravi, tertium in acuto, ut

A h c d e f g a.

Hae septem species dicuntur et ipsae harmoniae sive modi (τρόποι). Quarum quae quartum locum obtinet, quum in tetrachordis speciem referat vere Graecam, ea vetustissima semper habita est dictaque Doria harmonia. Ex qua quum facile tertia et secunda, quarum illa, quum Phrygiam speciem prae se ferat, Phrygia haec quum Lydiam, Lydia dicta est harmonia, ducantur dempto in acuto et in gravi apposito tono, hae tres harmoniae appellatae sunt toni (τόνοι) [6]), quod nomen postea ad omnes diapason species simili ratione translatum est. Atque etiam horum quatuor tonorum quasi cognomen ex illis tribus petitum est. Ex Dorio enim fit Hypodorius, qui habet septimam speciem, cuius ad Doriam harmoniam ea est ratio, ut qui in illa medius est tonus diazeucticus sive seiungens, eum ipsa habeat

---

[6]) Plutarch. de musica 8: Τόνων γοῦν τριῶν ὄντων κατὰ Πολύμνηστον καὶ Σακάδαν, τοῦ τε Δωρίου καὶ Φρυγίου καὶ Λυδίου, ἐν ἑκάστῳ τῶν εἰρημένων τόνων στροφὴν ποιήσαντά φασι τὸν Σακάδαν διδάξαι ἄδειν τὸν χόρον, Δωριστὶ μὲν τὴν πρώτην, Φρυγιστὶ δὲ τὴν δευτέραν, Λυδιστὶ δὲ τὴν τρίτην. Καλεῖσθαι δὲ τριμερῆ τὸν νόμον τοῦτον διὰ τὴν μεταβολήν. Quod mutationis genus quale fuerit si quaeris, non de acumine aut gravitate cogitandum esse videtur, ut altera harmonia alteram superaret tono, sed ita factum esse opinor, ut servata eadem tensione per omnes tres strophas, qui cuiusque harmoniae proprii essent soni, ii mutarentur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in gravi appositum. Eadem ratione propinquus est Phrygius Hypophrygio et Lydius Hypolydio. In eo autem, qui unus reliquus est, Mixolydio, diazeucticus est in acuto appositus, reliquo heptachordo Doriam speciem prae se ferente. Ita iam veteribus visum est.[7]) At cum Lydia harmonia illud tantum heptachordum aliqua quasi propinquitate conjunctum esse potest, quod relinquitur dempto primo intervallo in gravi.

Sunt igitur hi toni, eo ordine, quo supra proposuimus diapason species:

I. Mixolydius,
II. Lydius,
III. Phrygius,
IV. Dorius,
V. Hypolydius,
VI. Hypophrygius,
VII. Hypodorius.

Quorum quae sit uniuscuiusque propria vis si velis sentire atque intelligere, in instrumento musico v. g. clavichordio, si ex singulis sonis unius octavae e. c. H—h totidem octavas efficias, pulsando semper nigras pinnas, omissis albis, possis ipse experiri.

Ceterum ex his septem tonis duos vides specie diapason respondere iis, quibus nunc vulgo utimur, et quidem Lydium nostro duro, Hypodorium molli. Omnibus autem usa est atque etiam nunc utitur Ecclesia. Sed hoc ipsum postea videbimus, nunc quid Graecis placuerit de his harmoniis quamque quaeque earum indolem proprietatemque habere visa sit inquiramus. Ac Doriam quidem Graeci homines qui Graecae gentis indolem summa cura servari cupiebant, omnium maxime probarunt; immo Plato quidem a sua republica ceteras fere exclusas esse voluit praeter Phrygiam rep. 3. p. 399. A, quem locum, quum ad propriam utriusque indolem declarandam plurimum valeat, totum exscribimus: ... Κατάλειπε ἐκείνην τὴν ἁρμονίαν (Δωριστί), ἣ ἔν τε πολεμικῇ πράξει ὄντος ἀνδρείου καὶ ἐν πάσῃ βιαίῳ ἐργασίᾳ πρεπόντως ἂν μιμήσαιτο φθόγγους τε καὶ προσωδίας, καὶ ἀποτυχόντος ἢ εἰς τραύματα ἢ εἰς θανάτους ἰόντος ἢ εἴς τινα ἄλλην ξυμφορὰν πεσόντος, ἐν πᾶσι τούτοις παρατε-

---

[7]) ibid. 16: Λύσις δὲ (φησι) Λαμπροκλέα τὸν Ἀθηναῖον, συνιδόντα, ὅτι οὐκ ἐνταῦθα ἔχει (ἡ Μιξολυδιστί) τὴν διάζευξιν, ὅπου σχεδὸν ἅπαντες ᾤοντο, ἀλλ' ἐπὶ τὸ ὀξύ, τοιοῦτον αὐτῆς ἀπεργάσασθαι τὸ σχῆμα, οἷον τὸ ἀπὸ παραμέσης ἐπὶ ὑπάτην ὑπάτων.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ταγμένως καὶ καρτερούντως, ἀμυνομένου τὴν τύχην· καὶ ἄλλην αὖ (Φρυγιστί) ἐν εἰρηνικῇ τε καὶ μὴ βιαίῳ ἀλλ' ἐν ἑκουσίῳ πράξει ὄντος, ἤ τινά τι πείθοντός τε καὶ δεομένου, ἢ εὐχῇ θεὸν, ἢ διδαχῇ καὶ νουθετήσει ἄνθρωπον, ἢ τοὐναντίον ἄλλῳ δεομένῳ ἢ διαδάσκοντι ἢ μεταπείθοντι ἑαυτὸν ὑπέχοντα, καὶ ἐκ τούτων πράξαντα κατὰ νοῦν, καὶ μὴ ὑπερηφάνως ἔχοντα, ἀλλὰ σωφρόνως τε καὶ μετρίως ἐν πᾶσι τούτοις πράττοντά τε καὶ τὰ ἀποβαίνοντα ἀγαπῶντα· ταύτας δύο ἁρμονίας, βίαιον ἑκούσιον, δυστυχούντων εὐτυχούντων, σωφρόνων ἀνδρείων αἵτινες φθόγγους μιμήσονται κάλλιστα, ταύτας λεῖπε. Idem in Lachete p. 188. D. Doriam harmoniam solam esse Graecam dicit. Aristoteles autem polit. 8, 7. quaerens, qua potissimum harmonia institui pueros deceat: περὶ δὲ Δωριστὶ, inquit, πάντες ὁμολογοῦσι ὡς στασιμοτάτης οὔσης καὶ μάλιστ' ἦθος ἐχούσης ἀνδρεῖον· ἔτι δὲ, ἐπεὶ τὸ μέσον μὲν τῶν ὑπερβολῶν ἐπαινοῦμεν καὶ χρῆναι διώκειν φαμὲν, ἡ δὲ Δωριστὶ ταύτην ἔχει τὴν φύσιν πρὸς τὰς ἄλλας ἁρμονίας, φανερὸν, ὅτι τὰ Δώρια μέλη πρέπει παιδεύεσθαι μᾶλλον τοῖς νεωτέροις. In quo loco quam dicit inesse in Doria harmonia mediocritatem, eam nolim interpreteris cum Boeckhio[8]) de tensione, qua medius fuerit ante receptos quatuor acutissimos modos, sed de naturali indole, quae media sit inter nimiam et austeritatem et remissionem, quae mediocritas maxime placet philosopho. Idem fere significat Heraclides Ponticus apud Athenaeum 14. p. 624: Ἡ μὲν οὖν Δώριος ἁρμονία τὸ ἀνδρῶδες ἐμφαίνει, καὶ τὸ μεγαλοπρεπὲς, καὶ οὐ διακεχυμένον, οὐδ' ἵλαρὸν, ἀλλὰ σκυθρωπὸν καὶ σφοδρὸν, οὔτε δὲ ποικίλον, οὔτε πολύτροπον. Item τὸ μεγαλοπρεπὲς καὶ τὸ ἀξιωματικόν ei tribuit Aristoxenus apud Plutarchum de mus. 16, ubi paulo infra c. 17. in Doria harmonia πολὺ τὸ σεμνόν esse dicit, ut Pindarus Δώριον μέλος σεμνότατον dixerat teste Schol. ad Olymp. 1, 26. Severitatem igitur et stabilitatem et dignitatem huius harmoniae maxime laudarunt veteres.

Proxime accedit Phrygia, cuius laus non est mediocris. Ac Platonis quidem iudicium supra posuimus. Ad quod respiciens Aristoteles l. c. illum in Platonis republica Socratem dicit non bene relinquere cum Doria harmonia solam Phrygiam et ex instrumentis reiicere tibiam. Eandem enim vim habere in harmoniis Phrygiam quam in organis habeat tibia; ἄμφω γὰρ ὀργιαστικὰ καὶ παθητικά. Δηλοῖ δ' ἡ ποίησις· πᾶσα γὰρ βακχεία καὶ πᾶσα ἡ τοιαύτη κίνησις μάλιστα τῶν ὀργάνων ἐστὶν ἐν τοῖς αὐλοῖς. Τῶν δ' ἁρμονιῶν ἐν τοῖς Φρυγιστὶ μέλεσι λαμβάνει ταῦτα τὸ πρέπον· οἷον ὁ διθύραμβος ὁμολογουμένως εἶναι δοκεῖ Φρύγιον. Quare quamquam ad pueros instituendos magis accommodata sit Doria, non tamen ob

---

[8]) De metr. Pind. p. 238.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eam causam omnino reiiciendam esse Phrygiam, sed admittendam relaxationis causa, sicut etiam ceteras. Omnibus igitur utendum censet, sed non eodem modo omnibus.

Sic etiam si quae alia sit harmoniarum ad exstremum dicit, quae conveniat puerorum aetati, quod decor insit et institutio, eam adhibendam esse, quod quidem omnium maxime in Lydia cernatur.

Apta autem dici videtur puerorum aetati haec Lydia non tam ob acumen, ut aliis visum est, quam quod mediocritatem quandam obtineat inter severiores et remissiores. Dicitur enim dulcis et varia[9]), et cum Doria comparata Platoni (l. c) est μαλακὴ καὶ ξυμποτική. Neque abhorret, quod significatur his versibus Telestae Selinuntii apud Athenaeum 14. p. 626:

Πρῶτοι παρὰ κρατῆρας Ἑλλήνων ἐν αὐλοῖς
συνόπαδοι Πέλοπος Ματρὸς ὀρείας Φρύγιον ἄεισαν νόμον,
τοὶ δ᾽ὀξυφώνοις πηκτίδων ψαλμοῖς κρέκον
Λύδιον ὕμνον.

In quibus quod dicit poeta ὀξυφώνοις ψαλμοῖς Lydium hymnum cantatum esse, in quam rem conferendus est Plutarchus de mus. 15, qui hanc harmoniam dicit ὀξεῖαν καὶ ἐπιτήδειον πρὸς θρῆνον, nihil aliud videtur significare voluisse, quam mollium delicatorumque hominum naturam, qui acuta voce uti solent. Item veteribus cantus lugubris et maestitiam prae se ferens est acutus, quod contra nos in eiusmodi rebus voce gravi uti solemus. Videtur sane haec magis convenire severitati christianae, illa naturali dolori. Hoc autem mirum videri potest, hunc eundem modum nobis durum esse, qui sane recte appellatur comparatus alteri nostro modo molli, qui reapse mollis et nobis videtur et veteribus visus est.

Usi sunt hac Hypodoria harmonia poetae Aeolenses, quorum tota poesis fere fuit amatoria, unde dictus modus Aeolius. Aeolum autem indoles ita describitur ab Heraclide Pontico apud Athenaeum 14. p. 624: Τὸ δὲ τῶν Αἰολέων ἦθος ἔχει τὸ γαῦρον καὶ ὀγκῶδες, ἔτι δὲ ὑπόχαυνον· ὁμολογεῖ δὲ ταῦτα ταῖς ἱπποτροφίαις αὐτῶν καὶ ξενοδοχίαις· οὐ πανοῦργον δὲ, ἀλλὰ ἐξηρμένον καὶ τεθαῤῥηκός. Διὸ καὶ οἰκεῖόν ἐστιν αὐτοῖς ἡ φιλοποσία, καὶ τὰ ἐρωτικὰ, καὶ πᾶσα ἡ περὶ τὴν δίαιταν ἄνεσις. Διὸ καὶ περιέχουσι τὸ τῆς ὑποδωρίου καλουμένης ἁρμονίας ἦθος. Αὕτη γάρ ἐστι, φησὶν ὁ Ἡρακλείδης, ἣν ἐκάλουν Αἰολίδα. Et allato Lasi Hermionensis huius rei testimonio et Pratinae pergitur: Πρότερον μὲν οὖν, ὡς ἔφην, Αἰολίδα αὐτὴν ἐκάλουν,

---

[9]) Schol. Pind. Ol. 5,44; Nem. 8, 24.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ὕστερον δὲ ὑποδώριον, ὥςπερ ἔνιοί φασιν, ἐν τοῖς αὐλοῖς τετάχθαι νομίσαντες αὐτὴν ὑπὸ τὴν Δώριον ἁρμονίαν. Ipse tum explicat ὑποδώριον τὸ μὴ πάνυ Δώριον.

Utrumque verum puto equidem. Nam quod in tibiis iungendis infra Doriam harmoniam ponebant Aeoliam, eius rei sine dubio causa erat, quod haec illi maxime propinqua erat. Atqui Hypodoria, ut supra diximus, a Doria non differt, nisi quod tonum disiungentem, qui in hac medius est, illa in gravi habet. Indolis similitudo colligitur etiam aliunde. Secundum Aristotelem enim probl. 19, 48 Hypodoria non adhibebatur in carminibus choricis, quia choro conveniret τὸ γοερὸν καὶ ἡσύχιον ἦθος καὶ μέλος, haec autem harmonia haberet τὸ μεγαλοπρεπὲς καὶ στάσιμον et πρακτικόν, quae magis propria essent τοῖς ἀπὸ τῆς σκηνῆς. Quae vides proxime accedere ad ea, quae supra de Doria allata sunt. Eodem loco Aristoteles Hypophrygiam dicit τοῖς ἀπὸ τῆς σκηνῆς convenire, minusque aptam choro, quia eius ἦθος sit πρακτικόν. Hanc ipsam eandem atque Joniam diapason speciem habere verisimile est. Quare quod Heraclides ille apud Athenaeum de Jonia dicit[10]), ad hanc licet referre.

De Hypolydiae indole nihil, quod sciam, veteres tradiderunt. Mixolydiam inventam esse dicit apud Plutarchum de musica 16. Aristoxenus a Sappho, a qua quum accepissent tragici, coniunxisse eos cum Doria, quoniam illa alterum, quod insit in rebus tragicis, habeat, τὸ παθητικόν, haec alterum, τὸ μεγαλοπρεπὲς καὶ ἀξιωματικόν. Eandem paulo infra Plutarchus dicit θρηνωδικήν.

Jam his harmoniis, de quibus diximus, quomodo usi sint veteres si quaeris, dolendum sane est, eius rei vix ac ne vix quidem exstare exempla, quibus earum usus declaretur. Nam quum de arte eiusque praeceptis et de mathematicis physicisque rationibus et de vocabulis ex artis necessitate conceptis multi a multis libri conscripti sint, modi cantusque vocum sonis exscripti tribus aut quatuor iisque dubiae fidei exceptis omnes interierunt. Praeter enim melodiam Pindari carminis Pythii I. quinque priores versus complectentem Boeckhianae recensionis[11]) exstant tres hymni Dionysii et Mesomedis qui feruntur, a Fr. Bellermanno editi, cum modis musicis,[12]) quorum tamen aetatem fortasse non pauci ex nostris hymnis ecclesiasticis attingunt.

---

[10]) Apud Athenaeum l. c.

[11]) v. Boekh. de metr. Pind. p. 268.

[12]) Die Hymnen des Dionysius und Mesomedes. Text und Melodien etc. Berlin, 1840.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Jam de tensione si quaeritur, eam adhiberi par erat, quae et ad cuiusque cantici argumentum et ad voces canentium accommodata esset. Atque si a multitudine caneretur per se patet, ut singuli commoda voce uterentur, necesse fuisse angustioribus finibus contineretur melodia. Hinc singulas harmonias intelligitur haud multum differre potuisse tensione. Neque instrumentorum initio fuit magna varietas. Ac tibias quidem quum prius ad suam quamque harmoniam adaptatas usurpassent tibicines, primus Pronomus, qui fuit Alcibiadis praeceptor, invenit, quibus et Doria et Phrygia et Lydia accinere posset.[13]) Item in fidibus factum esse legimus apud Athenaeum 14. p. 637. Quamquam Plato quidem, ut praeter Doriam et Phrygiam harmoniam ceteras reiicit, ita τριγώνων καὶ πηκτίδων καὶ πάντων ὀργάνων, ὅσα πολύχορδα καὶ πολυαρμόνια, δημιουργούς a civitate sua abesse vult. (rep. 3, p. 399. C.)

Haec res licet per se levis esse videatur, tamen, quum vix fieri posset, quin tensionis etiam cuiusque harmoniae paulatim certa constitueretur ratio, apud harmonicos tantum valuisse eam opinor, ut systema quoddam conderent, quo suo quisque loco modi insererentur. Hinc ille, quem supra proposuimus, certus septem modorum ordo, quo Hypodorius gravissimus, Mixolydius acutissimus dicitur. Hinc etiam systema illud quindecim modorum, de quo supra diximus, in quorum nominibus maxime cavendum est, ne quae sunt in iis eadem cum illis, quibus septem harmonias significavimus, ea inter se confundantur. Qua confusione quum nihil facilius tum nihil est, quod magis, quominus ea, quae postea dicemus, recte intelligantur impediat. Sunt autem quindecim modi hi, ex ordine a gravi in acutum:

Hypodorius, Hypoiastius, Hypophrygius, Hypoaeolius, Hypolydius,
Dorius, Jastius, Phrygius, Aeolius, Lydius,
Hyperdorius, Hyperiastius, Hyperphrygius, Hyperaeolius, Hyperlydius.

---

13) Pausan. descr. Gr. 9, 12. (ed. Tauchn.): Ἀνδριάς τέ ἐστι Προνόμου ἀνδρὸς αὐλήσαντος ἐπαγωγότατα ἐς τοὺς πολλούς. Τέως μέν γε ἰδέας αὐλῶν τρεῖς ἐκτῶντο οἱ αὐληταί. Καὶ τοῖς μὲν αὔλημα ηὔλουν τὸ Δώριον· διάφοροι δὲ αὐτοῖς ἐς ἁρμονίαν τὴν Φρύγιον ἐπεποίηντο οἱ αὐλοί· τὸ δὲ καλούμενον Λύδιον ηὐλεῖτο ἀλλοίοις. Πρόνομος δὲ ἦν, ὅς πρῶτος ἐπενόησε αὐλοὺς ἐς ἅπαν ἁρμονίας ἔχοντας ἐπιτηδείως· πρῶτος δὲ διάφορα ἐς τοσοῦτον μέλη ὑπ' αὐτοῖς ηὔλησε τοῖς αὐλοῖς. Cf. Athen. 14, p. 631.

Quarum tibiarum ratio, si quaeris, ea sine dubio fuit, ut intra unius harmoniae ambitum adderentur ii soni, quibus differunt hae tres harmoniae. E. g. si addantur Doriae tibiae, qua cani possit e—ē, soni *fis*, *gis*, *cis*, *dis*, ea et Phrygia et Lydia cani potest.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In quibus modis, qui hemitonio alter alterum superant, si ad aliquam harmoniam aliquod canticum adaptandum erat, quoniam humanae vocis ambitus non ita late patet, mediam fere partem perfecti (τελείου) quod vocabatur, illius systematis assignarunt, quae tetrachordis meson et diezeugmenon continetur. Quodsi ponimus Hypodorici modi eandem tensionem cum nostro A—ā, cuius etiam speciem refert, ceterae harmoniae ad superiorem eius octavam, a—ā, ita transferendae sint, ut, servata eadem tensione, hemitoniorum loca, quibus differunt, mutentur.

Nostro igitur more rescribenda esset Doria harmonia, cuius species est, ut a–f—g—a—h–c—d—e, in hunc modum:
a–b—c—d—e–f—g—ā, et Phrygia, cuius species est ut d—e–f—g—a—h–c—d, ita:
a—h–c—d—e—fis–g—ā, et sic porro ceterae. Quamquam nolim ex hac re concludas, revera apud Graecos Hypodorii tensionem eandem fuisse, qua nunc utimur, praesertim quum ne nostra quidem per proxima superiora saecula manserit eadem. Sed haec hactenus. Expositis summatim, quae in his rebus gravissimi sunt momenti, nunc ad alteram disputationis partem accedamus quaeque sit Ecclesiae modis ad veterem musicam ratio inquiramus.

Principio hoc mihi concedas oportet, Ecclesiam, quam scimus, quidquid humanae mentis acies invenit aut natura ipsa ferente instituit praeclare, quasi coelestiore lumine illustratam suo usui consecrasse ad summumque altitudinis fastigium evexisse, eam decuisse, quae in rebus musicis scite praeclareque inventa institutaque essent ab antiquis hominibus, in suam quasi potestatem redigere atque uti ut suis; eoque magis, quod, quum omnes omnium aetatum gentes nationesque in suum quasi gremium exceptura esset, omnium etiam vocibus uti eam par erat. Sunt enim voces naturales modi musici cuiusque gentis proprii, nec possunt plures inveniri species quam revera utitur Ecclesia. Hoc igitur spectabat pia Mater, ut quibuscumque motibus afficerentur filiorum animi, sive laetita sive tristitia, sive gaudio sive luctu, sive excitandi essent ad agendum strenue sive deterrendi a rebus summopere nocentibus atque ad poenitendum commovendi, in omnibus his rebus ne deessent apti et ad quemque motum accommodati modi. Quamquam dolendum sane est, his temporibus ecclesiastici cantus doctrinam per iniquitatem temporum incultam fere iacere, nesciri a plerisque praestantissimas eius virtutes. Quo magis enitendum erit iis, quorum esse debet huius rei cura, ut et cantus disciplina in diem magis cognoscatur et ipse quo maximo fieri potest decore agatur. Neque alia mente hanc opellam, quantulacunque est, ipsi navavimus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ac primis Ecclesiae temporibus qualis cantus fuerit, ignoratur fere. Psalmos cantandi morem ab Judaeis acceperunt Christiani et orientalis et occidentalis Ecclesiae. S. Athanasium quidem s. Augustinus ait confess. 10, 33. saepe dictum se commeminisse, tam modico flexu vocis fecisse sonare lectorem psalmi, ut pronunciantí vicinior esset quam canenti. Quod quidem ipsi tutius sibi videri dicit inter nimiam severitatem, qua valde interdum erret ita ut melos omne cantilenarum suavium, quibus Davidicum psalterium frequentetur, ab auribus suis removeri velit atque ipsius ecclesiae, et periculum nimiae delectationis carnis, cui mentem enervandam non oporteat dari. Verumtamen cum reminiscatur lacrimas suas, quas fuderit ad cantus Ecclesiae in primordiis recuperatae fidei suae, et tunc ipso quomodo commoveatur non cantu, sed rebus, quae cantentur, quum liquida voce et convenientissima modulatione cantentur, magnam instituti eius utilitatem rursus se agnoscere, itaque se adduci magis, ut cantandi consuetudinem approbet in ecclesia, ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Omnes enim affectus spiritus nostri, pro sui diversitate, habere proprios modos, quorum occulta quadam familiaritate excitentur. Atque omnino laudant saepissime SS. Patres psalmorum hymnorumque eximiam vim ac praestantiam ita, ut moneant ad unum omnes, ne prae vocis cantusque suavitate verba negligantur. Sunt autem quae in officio, quod vocant, Ecclesiastico cantantur, fere haec: antiphonae, psalmi, responsorii, hymni: cetera enim, ut lectiones, non tam cantantur quam leguntur. Atque alternis cantandi consuetudo, unde nomen est antiphonis, primum in Oriente invaluit. „Apud Latinos," verba sunt s. Isidori[14]) „primus beatissimus Ambrosius antiphonas instituit, Graecorum exemplum imitatus: exhinc in cunctis Occiduis regionibus earum usus increbruit." Ad earum modulationem psalmodia adaptata est. Postea quaevis cantilenae breviores ad hunc modum compositae antiphonae sunt dictae. Responsoria idem Isidorus ibid. c. 8 ab Italis reperta esse dicit, et vocata hoc nomine, quod uno canente, chorus consonando respondeat. Inde ab Ambrosii aetate etiam hymni, non ex sacris litteris collecti illi quidem, sed ab hominibus Christianis compositi cantari solebant primum in Mediolanensi Ecclesia, deinde etiam in aliis Occidentis Ecclesiis: ex cuius nomine, quum non pauci ab ipso facti, alii ad eius morem compositi essent, totum genus Ambrosianum dictum est. Atque quum aliis tum maxime hac re differebant olim Ambrosianum quod dicitur officium et Romanum, quod illud multos hymnos habebat, hoc nullos admittebat. In quibus rei caput hoc est, quod

[14]) Isidor. de eccl. offici. 1, 7, cf. s. Augustin. conf. 9, 7.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

illi hymni metricis legibus adstricti canebantur, quum Romani metricas rationes fere negligerent. Neque aliena fuisse videtur ab Ambrosiano ritu ac cantu Gallorum ratio, apud quos plurimi Christiani poetae floruerint. Apud Romanos autem ille mos ad XII. saeculum fortasse perseveravit. Certe tempore Bernonis Augiensis Abbatis, qui obiit 1048, nullus eorum usus fuit in Romana Ecclesia, ut intelligitur ex libro eius, qui inscriptus est: de quibusdam rebus ad Missam spectantibus, c. 1. et 2; quod contra a scriptore libelli Micrologi de Ecclesiasticis observationibus, qui non ita multo post Gregorium VII. Papam videtur fuisse, ad Vesperas de Octava Domini assignatur hymnus „A solis" (c. 39).

Sed retro paulum eundum est, ut videamus, quae ad Missarum solemnia priscis iam temporibus in Romana maxime Ecclesia solita sint cantari. De quibus agit, breviter Rupertus Abbas Tuitiensis lib. II. de divinis offic. c. 21, cuius verba, quae huc spectent, afferam. „Coelestinus († 432), Papa quadragesimus primus constituerat, ut Psalmi David centum quinquaginta ante sacrificium canerentur antiphonatim ex omnibus (i. e lectis ex iis, quae aptae viderentur, antiphonis), quod ante non fiebat, sed tantum Epistola et Evangelium recitabantur. Ex hoc instituto excerpti de Psalmis introitus, gradualia, offertoria, communiones cum modulatione ad Missam in Ecclesia Romana cantari coeperunt. Gregorius (magnus) Antiphonarium regulariter centonizavit et compilavit, Kyrie eleison a clero ad Missas cantari praecepit, quod apud Graecos ab omni populo cantabatur. Alleluia extra Pentecosten ad Missas dici fecit . . . Symmachus († 514) constituit omni die Dominico vel natalitiis martyrum, Gloria in excelsis ad Missas cantari: quem hymnum Telesphorus Papa, a beato Petro VII. nocte tantum natalis Domini ad Missas, a se in ipsa nocte constitutas, cantari instituit, et in eo, ad angelorum verba, quae sequuntur, adiecit. Gelasius (I. † 496) tractus et hymnos composuit, et sacramentorum praefationes cauto et elimato sermone dictavit . . . . Damasus († 384) Credo in unum Deum cantari instituit. [15]) . . Sixtus (sextus a beato Petro) Hym-

[15]) Berno Aug. l. c.: „Nam si ideo, ut saepe dictum, illum Angelicum hymnum prohibemur in festivis diebus (i. e. omnibus) canere, eo quod Romanorum presbyteri non solent eum canere, possumus simili modo post Evangelium Symbolum reticere, quod Romani usque ad haec tempora divae memoriae Henrici (II.) Imperatoris, nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati, cur ita agerent, me coram assistente, audivi eos huius modi responsum reddere, videlicet, quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla haeresos faece infecta sed secundum s. Petri doctrinam in soliditate Catholicae fidei permaneret inconcussa: et ideo magis his necessarium esse illud Symbolum saepius

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

„num Sanctus, sanctus, sanctus cantari instituit. Sergius (I. † 701) ultimum hoc in-„stituit, ut inter communicandum Agnus Dei a clero cantetur“ (in gestis pontificalibus teste Amalario de Eccles. offic. III. 33. sic scriptum erat: Hic statuit, ut tempore confractionis Dominici corporis Agnus Dei a clero et populo decantetur). Haec Rupertus: quibus declaratur, a quibus quoque tempore singula, quae nunc ad Missarum solemnia cantari solent, instituta sint. Jam Gregorio Magno vides plurimum tribui, quippe qui nonnullis additis optima quaeque elegerit et suo quaeque ordine disposita in librum collegerit. Libros autem s. Gregorius duos condidisse videtur, unum, cui hoc loco nomen est Antiphonarii, apud alios etiam Cantarii, quo continebantur omnis generis antiphonae et responsoria, alterum Sacramentorum librum, qui etiam missalis dicitur. Sicut sapientissimus Papa Gregorius, inquit Berno l. c., librum sacramentorum diligentissime ad veritatis lineam correxit, ita musicae quoque modulationis harmoniam satis utiliter composuit ac ordinavit.[16])

Atque hinc sine dubio repetendum est, quod, quum illi libri brevi temporis spatio in omnibus fere regionibus Occidentis reciperentur, cantus, qui genere non differret ab Ambrosiano, dictus est Gregorianus. Ad quem propagandum quum valuit Romanae Ecclesiae auctoritas tum naturalis quae tum temporis erat rerum conditio. Neque vero ita s. Papa aut vetera correxit aut nova condidit, ut quae usitata fuerant apud alios, ea omnia statim abiici vellet, sed quae probari possent permisit ut retinerentur. Cuius rei luculentum hoc exstat exemplum in Vita eius a Joanne Diacono conscripta lib. II. c. 37: „Quum una sit fides, cur super Missarum celebratione, Gallicana Ecclesia Romana discordet, Augustino quaerenti, Gregorius ait: Novit tua Fraternitas Romanae Ecclesiae consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet ut sive in Romana, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, et in Anglorum Ecclesia, quae adhuc nova est ad fidem, institutione praecipua, quae de

---

cantando frequentare, qui aliquando ulla haeresi potuerunt maculari. At dominus Imperator non antea desiit, quam omnium consensu in Domino Benedicto Apostolico persuasit, ut ad publicam missam illud decantarent.“ Obsoleverat igitur post Damasum.

[16]) cf. Microlog. 31: Nam et s. Hieronymus in libro Comitis (qui Epistolas et Evangelia continebat, unde dictus Lectionarius) ordinavit, cuius libri ordinem et s. Gregorius diligentissime observavit, sive dum lectionibus et Evangeliis Missales orationes in Sacramentario adaptaret, sive dum Antiphonas ex eisdem Evangeliis quam plurimis diebus in Antiphonario articularet. cf. Amalar. de off. eccl. III. 40: Auctor Missalis, qui vocatur Gregorialis; et IV. 30: Missalis, cuius auctorem credimus beatum Gregorium.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis, quae pia, quae religiosa, quae recta sunt, eligas; et haec quasi in vasculo (in fasciculum est apud Amalarium de ord. Antiph. 1.) collecta apud Anglorum mensam in consuetudinem vertas."

Sed nescio an maiori etiam s. Gregorio laudi vertendum sit, quod Romae, ut pueri a prima aetate cantus disciplina imbuerentur, scholam cantorum instituit, cui ipse praefuit magister. Ex qua schola maxima utilitas in omnem Occidentem redundavit, missis inde saepius tum ad Anglos tum in Galliam et Germaniam cantandi artis magistris, qui ad Ecclesias primarias et in Monasteriis alios eandem artem docerent. Atque in Germaniam vel Franciam, ut de hac potissimum dicamus quum iam Pipinus rex huius disciplinae peritos accersivisset, imprimis id egit Carolus M., ut toto suo imperio latissime patenti Romanus cantus usurparetur. Hinc est, quod quum Romae esset, duos clericos reliquit, ut Romanam consuetudinem discerent, quos postea, quum satis instructi viderentur, scholae Metensi praefecit. Quibus mortuis corrumpi magis in diem videns cantum ab Hadriano Papa duos magistros accepit, Theodorum et Benedictum, Antiphonarios s. Gregorii secum ferentes, ad quos Francorum libros corrigi iussit. [17]) Atque etiam edictum exstat, quo sic sancit „Monachi ut cantum Romanum pleniter et ordinabiliter per nocturnale vel graduale officium peragant, secundum quod genitor noster Pipinus rex decertavit ut fieret, quando Gallicanum cantum tulit ob unanimitatem Apostolicae sedis et sanctae Dei pacificam concordiam" (Capitul. I, 74). Atque adeo iterum Roma missos esse duos cantores tradidit Ekkehardus in vita B. Notkeri Balbuli[18]),

---

[17]) Monachus Engolismensis in vita Caroli M. apud Gerbert. de cantu et mus. s. I. p. 272: Dominus vero Carolus revertens in Franciam, misit unum cantorem in Metis civitate, alterum in Suessionis civitate, praecipiens, de omnibus civitatibus Franciae magistros scholae antiphonarios eis ad corrigendum tradere, et ab eis discere cantare. Correcti sunt ergo antiphonarii Francorum, quos unusquisque pro arbitrio suo vitiaverat, addens, vel minuens, et omnes Franciae cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciscam: excepto, quod tremulas vel vinnulas, sive collisibiles, vel secabiles voces in cantu non poterant perfecte exprimere Franci, naturali voce barbarica frangentes in gutture voces potius, quam exprimentes. Maius autem magisterium cantandi in Metis civitate remansit; quantumque magisterium Romanum superat Metense in arte cantilenae, tanto superat Metensis cantilena ceteras scholas Gallorum.

[18]) Ibid. p. 274.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quorum unus Petrus ad imperatorem perrexit, alter Romanus in monasterio San-Gallensi morbo impeditus remansit, ubi „ad aram apostolorum“ verba sunt Ekkehardi, „cum authentico, quem ipse attulit, exemplato antiphonario locari fecit (cantarium), in quo usque hodie, si quid dissentitur in cantu, quasi in speculo error eius modi universus pervidetur atque corrigitur.“

Tantam religionem, quantam manachorum S. Galli fuisse ex his verbis recte concluditur in asservando cantu Romano, Metensis Ecclesia non videtur adhibuisse, quamquam magis ad verba, quae cantantur, quam ad ipsam modulationem ea, quae referuntur discrimina, puto pertinere.

Ubi regnante Ludovico Pio Amalarius Fortunatus, eiusdem Ecclesiae Diaconus et scholae Palatinae post Alcuinum magister, offensus Antiphonariorum discrepantia, postquam Romam missus a rege a. 831 frustra a Gregorio IV. Papa Antiphonarium comparandi causa petivit, in monasterio Corbiensi tribus voluminibus nocturnale officium continentibus et quarto diurnale continente inventis, (quo missa erant, ut in uno eorum scriptum erat, ab Hadriano Papa), Metenses libros contulit cum illis Romanis. Quos quum invenisset, ut ipse dicit initio libri de ordine Antiphonarii, „discrepare non solum in ordine, verum etiam in verbis et multitudine Responsoriorum“, miratus tantam inter matrem et filiam discrepantiam, cognovit „sua volumina aliquanto tempore volumine illo Romanae urbis esse antiquiora.“ Confecit igitur novum librum, in quo ita se versatum esse dicit, ut a suis, ubi melius essent ordinata, non discederet, et ubi possent corrigi voluminibus Urbis, non negligeret, seu in ordine seu in verbis, religiose tamen adscriptis semper iis, quibus utraque differrent. Quam rationem ne quis reprehenderet, ipsius S. Gregorii auctoritatis excusatione usus est, cuius ad Augustinum verba supra attulimus. Huius recensionis ex Amalarii libro cognovi etiamnunc exstare vestigia in breviario Monasteriensi, quae tamen, ne longior sim, nunc praetermitto.

Jam ut intelligas, quamobrem haec, quae ad nostram rem proxime videri possint non pertinere, fusius disputaverim, Romanum illud S. Gregorii autographum temporis diuturnitate periit: qui vero vel Romae vel alibi proximis his superioribus saeculis inventa typographica arte descripti sunt libri, eos partim ad exempla vetusta et perbona illa quidem sed a correctoribus depravata partim ab editoribus ipsis importune opportune, bene male emendantibus in deterius versos esse constat. Exemplum autem Gregoriani libri exstat unum in monasterio San-Gallensi, illud ipsum, de quo supra diximus, quod lithographica arte exprimendum curavit P. Lambillot S. J. Sed similis hic liber est scrinii clausi optima quaeque continentis,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quod non inventa clave recludi non potest. Notulas enim exhibet Romanas vel neumas, quae dicebantur, i. e. puncta, lineolas tum rectas tum incurvatas, quae quid valeant, nunquam ne coniectura quidem assequere, postquam usus earum semel intermissus est. Clavem autem, eamque veram, ut opinor, invenisse sibi visus est Lambillot, cuius summa vis haec est, ut quaecunque in plurimis libris m. s. iisque ex diversis regionibus collectis eodem modo legantur, ea vere Gregoriana recte habeamus. Nimirum illa sonos musicos designandi ratio paulatim certior fieri coepta est, primum litteris in hunc usum adhibitis,*) deinde iis fere notulis, quibus nunc utimur. Atqui maxime probabile est, eos, qui primum transcriberent illas notulas, eum ipsum cantum, quem usu didicerant, tradidisse. Illud igitur minime mirabere, si contendo, libris, quos aut ex San-Gallensibus aut ex Metensibus originem duxisse constiterit, magnam deberi auctoritatem. Praeterea qui inspiciantur imprimis digni sunt Carthusianorum libri. Hic enim ordo inter regulas hoc praeceptum habet, in cantu ne quid innovetur.

Sed ut ad illam notam Romanam revertar, quam etiam neuma vel neumam vocabant, quaeret aliquis, quum quid valerent illa signa tam incertum esset tamque parum definitum, quid adiumenti in cantando afferre potuerint. Quum iis non modo sonorum sed ne intervallorum quidem certa constitueretur regula, sane non potuit hac ratione cantus disci nisi usu, (cuius etiam nominis proprietate utebantur), maximo diuturnoque labore adhibito. Hinc est, quod unam alteramve literam adscribebant lineae, primum uni, deinde duabus, quibus certi designarentur soni. Mox plures lineas adhibebant, nonnumquam tot, quot sonos diversos habebat cantus, sed inde a Guidonis Aretini maxime temporibus quatuor aut quinque contenti erant, quarum duae coloribus insigniri solebant, et uni croceo colore addebatur littera *c*, alteri rubro colore *f*, quae litterae claves vocabantur. Sonos ipsos Guido designavit septem primis alphabeti litteris vel sex syllabis (ut re mi fa sol la). Quo artificio factum est, ut qui antea plus quam decennium in discendo cantu consumebant maximo labore, ii facili negotio intra brevissimum temporis spatium ope monochordi, vel manus articulis, quibus illas litteras aut voces numerabant, (unde manus Guidoniana dicta), quidvis cantare scirent. Neque quidquam post Guidonem in musica Ecclesiastica, quantum ad cantum Gregorianum attinet, quod

*) Specimina octo tonorum et neumis et literis rescripta dedit Lambillot in libro: Antiphonaire de Saint Grégoire. Paris, 1851, quae censet ad decimum saeculum referenda esse.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

alicuius esset momenti, inventum aut innovatum est nisi quod teste Radulpho Tungrensi „Nicolaus Papa III, natione Romanus, de genere Ursinorum, qui coepit anno 1277, et palatium apud s. Petrum construxit, fecit in ecclesiis urbis amoveri Antiphonarios, Gradualia, Missalia, et alios libros officii antiquos quinquaginta, et mandavit, ut de cetero Ecclesiae urbis uterentur Libris et Breviariis Fratrum Minorum, quorum regulam etiam confirmavit, unde hodie, pergit idem, in Roma omnes libri sunt novi et Franciscani. Et forma notularum in cantu antiqua, qua tam Ambrosiani, quam Alemanniae nationes utuntur, cum pluribus aliis observationibus ecclesiasticis ab urbe relegata" (de canon. observ. prop. 22. C.). Quibus verbis non dubium est quin significetur, neumas, quae dicuntur, inde ab illo tempore omissas esse et eam qua nunc utimur in libris sacris rationem Romae receptam esse.

Hic igitur cantus ipse qualis sit diligentur investigemus. Pro fundamento ponimus locum ipsius Guidonis hunc*). »Duos colores ponimus, croceum scilicet et rubrum, per quos colores valde utilem tibi regulam trado, per quam aptissime cognosces de omni neuma et unaquaque voce, de quali tono sit, et de quali littera monochordi. Si tamen, ut valde est opportunum, monochordum et tonorum formulas in frequenti habeas usu. Septem vero sunt litterae monochordi, sicut plenius postea monstrabo. Ubicumque videris crocum, ipsa est littera tertia C, et ubicumque videris minium, ipsa est littera F, sive in lineis sive intra lineas ipsi ducantur colores. Igitur tertio ordine sub croco prima est littera (A) et tonus primus, vel secundus. Super hac iuxta crocum secunda littera (B) in qua est tonus tertius vel quartus. Deinde in ipso croco est vox vel littera tercia (C) in qua est tonus quintus vel sextus. Vicina super crocum, et tercia sub minio est littera quarta (D) in qua est tonus primus vel secundus. Proxima est minio quinta (E) in qua est tonus tercius vel quartus. In ipso minio littera VI. (F) in qua tonus quintus vel sextus. Juxta super minium septima est (G) in qua tonus septimus vel octavus. Deinde prima repetitur (A) tertio ordine supra minium et tertio supter crocum, in qua tonus primus vel secundus. Post quam omnes aliae reiterantur prioribus in nullo dissimiles."

In quo loco primum hoc velim animadvertas, a Guidione bis poni tonos „primum vel secundum" et „tertium vel quartum" et „quintum vel sextum." Cuius rei causa haec est, quod B littera duplici potestate fungitur, qua aut hemitonio

*) Apud Gerbert. l. c. II. p. 42.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aut tono a C distet; illam dicebant b mollem sive rotundam, hanc duram vel quadratam (♮). Sunt igitur hi toni (adhibita quadrata♮):

A B C D E F G a (I. vel II.)
B C D E F G a b (III. vel IV.)
C D E F G a b c (V. vel VI.)
D E F G a b c d (I. vel II.)
E F G a b c d e (III. vel IV.)
F G a b c d e f (V. vel VI.)
G a b c d e f g (VII. vel VIII.).

In quibus si b molli locum das, quartum, quintum, sextum specie diapason eosdem habes cum primo, secundo, tertio; hoc modo:

A B C D E F G a	B C D E F G a ♮	C D E F G a ♮ c
D E F G a b c d	E F G a b c d e	F G a b c d e f.

Sed b quadratae aut rotundae quae sit ratio, parumper mittamus, et in enumerandis certo ex ordine tonis quid spectaverint quum multi ante Guidonem et postea, tum ipse Guido, inquiramus. In qua re primum velim illud memineris, quod supra diximus, Graecos quum systemate illo quindecim modorum invento certam tensionis rationem iniissent, omnium primum esse voluisse Hypodorium, qui et ipse est Guidonis primus, et Hypodorius appellatus. Is autem modus, qui in illo systemate est Dorius, hunc ipsum Hypodorium superabat intervallo diatessaron sive Quarta, unde tonus, qui adhibitis septem illis litteris ad signandos Hypodoriae Octavae sonos initium habet a D, ab A Quarta distante, vocatus est Dorius. Quem tono superans Phrygius qui sequitur in illo systemate, eadem ratione, vel potius confusione, dictus est Phrygius, is, qui incipit ab E, et qui inferior est Quarta, Hypophrygius. Lydii autem et Hypolydii, quoniam in illa Hypodorii Octava hemitonia non inveniuntur nisi inter B (quadrata) et C, et inter E et F, initium fecerunt a F et C, quum deberet fieri secundum illam rationem a Fis et Cis. Jam Mixolydium incipere voluerunt a G, et quum Dorius et Phrygius et Lydius, quos etiam authentos appellabant sive auctorales, suum quisque sive plagium sive subiugalem sive obliquum haberent Hypodorium et Hypophrygium et Hypolydium, ne Mixolydium quidem suo plagio carere patiebantur, eumque tonum qui Quarta inferior est eo, a D incipientem, Hypomixolydium dixerunt. Iisdem nominibus etiamnunc utimur, sed certus hic constitutus ordo, ut authenti impari, plagii pari

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

numero signentur. Primus igitur est Dorius, secundus Hypodorius, tertius Phrygius, quartus Hypophrygius, quintus Lydius, sextus Hypolydius, septimus Mixolydius, octavus Hypomixolydius. Ita rem explicat Cardinalis Bona (de cantu Eccles. div. psalmod. c. 17, 3), cuius verba apponimus, ut novum inde rei documentum accedat. Usurpat Graeca tetrachordorum nomina, quorum quae sit potestas, ex tabula in fine adiecta facile intelligetur. „Quatuor sunt", inquit, „chordae finales tonorum, nam primus et secundus desinunt in lichano hypaton (d): tertius et quartus in hypate meson (e): quintus et sextus in parhypate meson (f): septimus et octavus in lichano meson (g). Cum autem omnis tonus plenam diapason contineat, atque ea ex diapente et diatessaron componatur: hoc discrimen est inter duos tonos in eadem chorda desinentes, quod is, qui authentus est, plenam diapason habet supra finalem: plagalis vero habet quidem diapenten supra finalem, sed diatessaron, quae diapason complet sub finali collocatur. . . . Is autem tonus, quem nos primum dicimus, Dorius est antiquorum e. q. s." At vero si Guido illis septem litteris ab Hypodorio incipiens septem diapason species describere volebat, debebat, misso quindecim modorum systemate, non a gravi in acutum progredi, sed ab acuto in grave retro gradi. Quod quo magis eluceat, utrumque systema describamus,

I. Graecorum

Hypodorium	A b c d e f g a
Hypophrygium	G A b c d e f g
Hypolydium	F G A b c d e f
Dorium	E F G A b c d e
Phrygium	D E F G A b c d
Lydium . . .	C D E F G A b c
Mixolydium .	B C D E F G A b;

II. Guidonis *(vera nomina:*

Hypodorium .	A B C D E F G a	Hypodorius,
Hypophrygium .	B C D E F G a b	Mixolydius,
Hypolydium . . .	C D E F G a b c	Lydius,
Dorium (Hypomixolydium)	D E F G a b c d	Phrygius,
Phrygium	E F G a b c d e	Dorius,
Lydium	F G a b c d e f	Hypolydius,
Mixolydium	G a b c d e f g.	Hypophrygius.)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quae confusio quin a Graecorum ratione male intellecta originem duxerit, dubitari non potest. Atque imprimis ex Boethii de musica libris quos magnam per totam, quae dicitur, mediam aetatem scimus obtinuisse auctoritatem, hic error tamquam ex fonte videtur manasse. Is enim libr. 4. c. 14. descripsit tabulam octo tonorum (additus est enim Hypermixolydius), quam expressit Bellermannus in libro qui inscriptus est: Die Tonleitern und Musiknoten der Griechen p. 60., adhibitis Graecis sonorum signis, duplicem quoque tono Octavam complectente, ut moris fuit Graecis. In qua, si Graeca signa nostris litteris reddere placet est species

Hypodorii: A B C D E F G a ♮ c d e f g ā
Hypophrygii: B Cis D E Fis G a ♮ cis d e fis g ā ♮
Hypolydii: . . Cis Dis E Fis Gis a ♮ cis dis e fis gis ā ♮ cis
Dorii: . . . . . D E F G a b c d e f g ā b c d
Phrygii: . . . . . E Fis G a ♮ c d e fis g ā ♮ c d e
Lydii: . . . . . Fis Gis a ♮ cis d e fis gis ā ♮ cis d e fis
Mixolydii: . . . . . G a b c d es f g ā b c d es f g
Hypermixolydii: . . . . . a ♮ c d e f g ā ♮ c d e f g a.

Ubi vides, quae media est totius systematis octava (a—ā), ea declarari septem diapason species mutatis secundum unamquamque hemitoniorum locis, ceterum omnibus modis eandem speciem, eamque Hypodoriam, referentibus. Quod qui parum perspiciebant mediae aetatis musici, ii, omissis chromaticis, quae dicimus, intervallis vel sonis, eodem ordine progredientes ex Hypodoria specie ceteras duxerunt, contenti, ut videtur, una eaque inferiore octava. Qua in re eo facilius fuit errare, quod, ut supra diximus, Graecis sonorum nominibus intervalla non indicantur: quod quo magis appareat, exemplo utar ex hac tabula petito. Quartus Hypodorii sonus in gravi est lichanos, item quartus Hypophrygii est lichanos (Hypaton); sed nostra ratione illa lichanos est D, haec vero E, in illo lichanos D distat a praecedenti parhypate tono, in hoc vero, ubi est parhypate, idem sonus D a praecendenti hypate distat hemitonio, et sic porro similiter in reliquis. — Atque etiam ipsum tonum octavum, qui inde ab antiquis Ecclesiae temporibus receptus fuit, ab eodem Boethio petitum esse arbitror. Cuius Hypermixolydii toni quae esset ratio quum non perspicerent, suum autem Mixolydium plagio tono carere viderent, eum tonum, cuius ad Mixolydium eandem esse rationem animadverterent, quae Hypolydii ad Lydium esset, etiam plagium voluerunt esse, quum esset Hypodorii authentus. Hinc sane Hypermixolydium debuerunt vertere in Hypomyxolydium. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nunc illud videamus, quid sibi velit, quod Guido primam suam speciem primum vel secundum tonum dixerit, itemque quartam et similiter ceteras. Ac primum quidem facile intelligitur, inter primum tonum (D—d) et secundum (A—a) esse quasi quandam cognationem non ita inepte dici. Habet enim Quintam uterque eandem D—a, neque Quartae discrimen est, nisi quod authentus in acuto, plagius in gravi habet. Itaque si in aliquo cantico melodia desinit in D♭, si supra hunc sonum assurrexerit, primo, si infra descenderit (ad B vel A), secundo tono (A—a) adaptata esse videbitur. Quod quidem eo rectius dicitur, quo arctioribus finibus continetur, praesertim si in superiore modulatione adhibeatur b mollis, quo facto ne specie quidem diapason differt alter modus ab altero. Eadem ratio est ceterorum.

His ita expositis illud intellectum puto, modos musicos, quibus Ecclesia utatur, si ad species diapason respiciamus, eosdem esse atque illos, quibus usi sint veteres Graeci, nominibus confusis vel mutatis. Neque tamen praeteriisse quemquam arbitror, esse, quibus differat musica, quae in Gregoriano cantu adhibeatur, a Graecorum. Quorum caput hoc est, quod noster cantus, exceptis hymnis ad veterum morem compositis, iisque vetustioribus, rhythmo caret, aut si quem habet, is magis ad solutam orationem pertinet. Quae conditio quum natura antiquitus inesset, depravari inde ab eo potissimum tempore coeptus est, quo missis neumis, quae melodiae quasi quandam figuram exhibebant, quadratis notis, ut dicunt, modi transscripti sunt. Hinc planum cantum dixerunt, quum eandem fere cuiusque notae moram esse putarent. Quo nihil potest esse perversius. Sed nostro tempore iam in melius verti res videtur. Certe qui nuper editus est liber, qui inscribitur: compendium Gradualis et Antiphonarii Rom. Moguntiae 1855, ex hac parte non minima laude dignus est. Et adhibitis libris mss. consultis veteribus de his rebus scriptoribus spes est haud exigua, fore, ut quum ceterae virtutes, tum suavitas in diem magis huic cantui restituatur. Neque vero audiendi sunt ii, qui multiplices neumas, ut dicunt multarum notularum complexum, abiiciendas esse censent. Stant contra eos quum San-Gallense exemplum ipsius Gregoriani libri, tum certa testimonia, quorum duo hoc loco sufficiat attulisse, Alcuini et Amalarii, quorum ille (de off. div. „offic. Vir erat"): Solet enim, inquit, auctor Antiphonarii aut distinctione cantus, aut distinctione ordinis, varium affectum monstrare sanctorum: sicut de Joanne Symmista (i. e. Evangelista) fecit per neumam circa intellectum verborum, Sapientiae et intellectus, in Responsorio *In medio Ecclesiae.* In quo quodammodo imitatur verbum ineffabile, de quo dicebat: In principio erat verbum. Et Amalarius (de ord. Antiph. 18.) de eodem: „In novissimo, inquit, responsorio

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

i. e. *In medio*, contra consuetudinem ceterorum responsor orum cantatur neuma triplex et Versus eius atque Gloria extra morem neumate protelantur", similem reddens causam. Gradualium et Tractuum, imprimis vero Alleluia propria per omne tempus fuit haec ratio. Quod autem nuper aliquis contendere ausus est, illis iam temporibus verum cantum Gregorianum tantum non interiisse, duobus saeculis vix exactis, non habeo quod respondeam, nisi hoc, esse qui de tota Ecclesia similia verba usurpent.

Sed redeamus ad propositum. Aliud discrimen hoc est, quod secus ac Graeci, recentiores definiunt tonorum differentias, inducta plagiorum et authentorum ratione, quum apud illos, ut vidimus, diapason species maxime respicerentur. Primum igitur, ut de hac re pauca obiter moneam, idque certissimum argumentum, quo cui tono aliquod canticum sit adaptatum evincatur, est hoc, ut cognita Octavae specie videas, quales quoque loco sint Quarta et Quinta. Sed plerumque aliis etiam indiciis idem discerni potest. Habet enim unusquisque tonus praeter sonum principalem, quo desini solet, alium, qui quasi dominatur in cantico. Unde dictus est sonus vel nota dominans. Sunt autem dominantes hae:

I. toni	a	III. toni	c	V. toni	c	VII. toni	d
II. „	f	IV. „	a	VI. „	a	VIII. „	c.

Ceterum ut supra de Graecis harmoniis dixi, ita ne ab hoc quidem loco alienum est monere, ex his tonis alium alio aut graviorem aut acutiorem recte non dici, sed tensionem tum eorum quae canantur argumento, tum ipsorum canentium vocis conditioni adaptandam esse.

Restat, ut quam nostris hominibus unusquisque tonorum propriam prae se ferre indolem videatur, num ea non abhorreat a veterum placitis videamus. Qua de re ne fines mihi constitutos egrediar, habeo haec pauca quae dicam. Atque illud quidem per se patet, quum nos, omissis hymnis, metricas rationes negligamus, non posse in nostris tonis eandem prorsus vim inesse, quippe qui maximis careant adminiculis, quae iam per se plurimum ad commovendos animos valeant. Quanta autem vis sit melodiae, quae omnino consonet rhythmicae carminis rationi, discere licet ex paucis, qui reliqui sunt ex Ambrosianis hymnis, quorum quamquam modulatio est simplicissima, tamen nativo quodam vigore excellunt, nec possunt non movere animos. Neque tamen dubito contendere etiamnunc cerni eam, quam veteres descripserunt, propriam indolem in nostris modis. Ac Phrygii quidem proxime ad nostrum primum tonum accedere qui intelligere et sentire ipse vult, is velim adeat praeclarum Introitum „Gaudeamus." De quo memorabilis locus est Radulphi Tungrensis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(de canon. observ. prop. 23), qui quum dixisset „cantus Missae, Epistolas et Evangelia, et plures orationes, responsoria et antiphonas, et cetera officia recepta esse ab Ambrosiano“: Et huius signum est, inquit, quia cantus concurrentes utrobique sunt eiusdem toni, ut introitus Gaudeamus utrobique est primi toni. Sed nota Ambrosiana est fortior, durior et magis extensa. (Supra prop. 12. Romanum cantum omnino dixerat per b. Gregorium et Vitalianum Papas ubique exstitisse magis plane dulcoratum). Quae verba postrema ita interpretanda sunt, si quid video, ut quae in Romanis libris iisque etiam antiquioribus est *b* mollis (*d a b a*), unde et ipse cantus fit mollior, in Ambrosiano desit, notaque dominans (*a*) statim assurgat ad *c* et inde in *a* recedat, idque non semel, fere ut nunc est in libro Monasteriensi. Idem modus quam sit aptus precibus, cognosce ex Introitu „Rorate“ Domin. IV. Adv., multaque alia luculenta exempla exstant in officio illius temporis, quae quum intimi animi preces tum laetitiam de adventu Domini quasi anticipatam spirant. Nunc dicitur facundus (cf. supra Platonis locum), item modestus, severus. — Tertius autem modus, quem dicunt animosum, promptum, quum exhortationi, graviter dictis, verbis minacibus imprimis sit aptus tum vero ne a laetitia quidem alienus est. Hinc est, quod praeter antiphonas, in quibus plurimus est eius usus, multi Introitus et Offertoria, quibus sacra verba continentur gravitatis plena, huic modo adaptata sunt. Egregia exempla inter multa sunt haec. Intr. Sabb. quat. Temp. Quadrag.; Offert. fer. II. maior Hebdom., imprimis Intr. fer. IV. eiusdem Hebd. „In nomine Jesu. Laetitiam cognoscas ex Introitu fer. V. post f. Pascha „Victricem manum.“ Sonorum ambitus huius modi proprius quum sit *E—e*, tamen saepe in gravi tum ante primum sonum tum post additur sonus D, ita arcte quasi agglutinatus, ut separari non debeat atque uno tenore proferendus sit. Contra acutissimus sonus *e* non saepe invenitur, saltem in recentioribus libris typis descriptis, in mss. nonnunquam inveni, ut in Introitu „In nomine Jesu“ in libro ms. saec. XIII. Neque indignum est, quod notetur, in hoc modo modulationem in ascendendo plerumque fieri omisso sono b sive *h*, in qua re non parva eius vis cernitur. Assurgendo enim saepe ab *a* ad *c*, quae est nota dominans, gratissimum intervallum auditur trihemitonii sive tertiae minoris. Si in gravi infra D descenditur ad C, vel si D sua potestate utitur, in acuto ultra *c* non facile exceditur, quo facto dicitur tonus tertius cum quarto mixtus, quod recte habet, modo intervalla utriusque toni propria retineantur. Item Graeci Dorium cum Mixolydio mixtum adhibuerunt. Admissa autem *b* molli, tertius tonus etiam, quae quarti propria est, diapason speciem refert.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed de singulis tonis plura dicere nunc supersedeo, ut ad extremum de usu *b* mollis annotem pauca. Inter septem tonos quum sint duo (IV. in superiore, V. in inferiore parte) quorum Quintae tritono i. e. tribus tonis continuis, et hemitonio aut versus grave aut versus acutum, complentur, usu venire potest, ut *b* mollis adhiberi necessario debeat, nimirum ut tritoni cacophonia evitetur. Ex eadem causa idem in primo quomodo veteres saepe vitarint, supra significavi, in quinto autem a principali sono F omissis G et b sonis ascendendo fit modulatio et, ut clausulam inveniat aptam gratamque, haud raro admissa *b* molli eam Quartae speciem refert, quae est sexti toni propria. Exemplo sit ille Versus Gradualis Missae III. Nativ. Dom., cuius specimina notationis, qualis fuerit inde ab Guidonis aetate ad nostra usque tempora, exhibet P. Lambillot l. supra c. ex multis libris undique collectis, in quo etiam illud licet videre, quam sit idem versus corrupte descriptus in libro Mechliniensi, qui editus est a. 1848. Similis ratio est reliquorum, sicubi ab altero modo in alterum parandus est transitus. Alioquin quae cuiusque toni proprietas est summo studio servanda est. Neque chromaticis intervallis utendum est, ne in cadentiis quidem, quas dicunt, finalibus; tollitur enim nervus atque omnis vis iis infringitur. Sed „manum de tabula“!

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf